

QK. VV 6

QK. 527, 10.

DE

Duobus Impostoribus,

B. n

II f  
253

BENEDICTO

SPINOSA

ET

BALTHASARE

BEKKERO,

DISSERTATIO HISTORICA;

Qvam indulgentē

Amplissima FACULTATE PHILOSOPHICA

In,

ACADEMIA LIPSIENSI,

*Primavice*

PRO LOCO

in eadem obtinendo

M D C X C I V . 8. Sept.

publicē proponit

M. Fr. ERN. KETTNERUS.

---

LIPSIAE,


Stannô IMMANUELIS TITIL.



377.3

1000





I. N. D.  
CAPUT I.  
DE  
BENEDICTO SPINOSA.

§. I.



Vamvis fœderatum Belgium eruditissimos  
hoc tempore homines complectatur , qvi  
nominis sui gloria univerSAM Bataviam &  
exteras oras impleverunt ; duos tamen in  
medio & fine hujus seculi tulit viros, Bene-  
dictum Spinosam in Philosophia, & Baltha-  
sarem Bekkerum in Philologia & Pnevma-  
tica celebres , qvi eruditione qvidem ac  
multarum rerum scientia palmam haud  
paucis præripuerunt , verùm novitate pessimarum opinionum mul-  
tis suspecti videntur.

§. 2. SpinoSA si mentis aciem spectes , nemini forte secun-  
dus , si rebus sacris nocendi conatum , ad nequitiam omnino est fa-  
ctus . Prodiit in lucem Amstelodami Anno 1633 , & in circumcisio-  
ne nomen ברונץ seu Benedicti accepit . In primo ætatis flore Ju-  
dæorum fide imbutus erat , & iis religionis commercio constanter  
adhærebat , qvoniam foedus antiquum tam Judæi , qvam Christiani ,

A 2

no-

novum autem soli Christiani suffragio suo approbarent. Postquam verò ob ciborum prohibitorum usum in Synagoga nudato corpore flagellis cæderetur, & grè hoc ferens inter Christianos non men professus est, sed mox illum facti pœnituit & nulli plane religioni se addixit. — Fermè ejusdem insanæ contagium invasit Spinosam, qvod pestilenti lue Vrielem Acoftam corruptit, qui in exemplari vitæ humanæ eandem sibi opinionem tribuere haud revertur. Vid. ejus vitam in Append. Collationis Limburgii cum Erudito Judæo.

§. 3. Postquam verò èo ætatis pervenit, in qua ingenium ejus maturescit, & ad rerum naturas indagandas aptum redditur, modo sputum Hobbesii lambit, modo Philosophiæ Cartesianæ se consecravit, & urbem Amstelodamensem, in qua natus & educatus fuit, deseruit, atque primo Renneburgum, deinde Voorburgum, & tandem Hagam Comitis petiit, ubi Nono Cal. Martii 1677. ex phtisi hanc vitam reliquit, postquam annum ætatis 44. excesserat, vid. Præfat. in Opera Posthuma Spinosæ.

§. 4. Tantus vero in eo ardor flagravit, tanta veritatis indagandæ cupiditas exarsit, ut testantibus iis, quorum domicilio utebatur, per tres continuos menses in publicum non prodierit. Anno 70 hujus seculi invitavit eum Joh. Lud. Fabritius Prof. Acad. Heidelberg., nomine Electoris Palatini, ad Philosophicæ Professionis munus in laudata sapientiæ sede capessendum, sed ei 54. Epistola respondit: *Quoniam nunquam publice docere animus fuit, induci non possum, ut præclaram hanc occasionem amplectar, tametsi rem mecum diu agitaverim. Nam cogito me à promovenda Philosophia cessare, si instituendæ juventuti vacare velim.* Conf. de eo Spanhemii Elenchum controversiarum à p. 658. ad 671.

§. 5. Incessit olim Dominum Sturmum Profess. Aldorff. cuius Bataviam peragrandi & hoc animal videndi. Cujus voti cum compos redderetur, ipsis oculis vidit, qvod Alcorano, Talmudi & sacris Bibliis communem locum in Bibliotheca sua malitiose & data opera assignaverit, qvin V. T. ab hominibus imprudentibus compositum esse, blasphemare non dubitarit, vid. ejus Dissert. de Cartesianis.

§. 6. Ma-

§. 6. Magna fateor mentem admiratio percūlit, cūm' an-  
mo agitarem, qvæ in Bailleti Pensées pag. 565. alibique lectu hor-  
renda observantur. Prodit enim memoriæ, qvod cum mors ad  
Spinosam appropinquasset, omnes obstrui fores mandavit & sin-  
gulis amicorum & sacerdotum aditum ad se perveniendi interclu-  
sit, ne forte in eam sententiam delaberentur, se mutata facie mu-  
tasse doctrinam, & dolores corporis, si qui imminerent, impieta-  
te meruisse.

§. 7. Opuscula cudit varia, Tractatum Theol. Polit., Tra-  
ctatum aliud Politicum de Monarchia & Aristocratia, Epistolas,  
Ethicam, Grammaticam Ebræam, Philosophiam Scripturæ inter-  
pretem, Librum de emendatione intellectus. In qvibus tamen  
plerisqve umbram potius, qvā veritatem ipsam sectatur, unde  
facile immensa animarum strages longe lateqve excitari po-  
tuissē.

§. 8. Non male B. Morhoffius judicavit in Polyhistore pag.  
74. Quid est Benedicti Spinozæ libris pestilentius? Et hi tamen ubi-  
que triumphant. Annon Tractatus ejus Theol. Politicus omnem elevat  
librorum sacrorum divinam fidem? annon miracula omnia explodit  
& exsibilat? Ejus Ethica Atheismi principia tam nude exponit, quan-  
quam subtiliter & argutè, ut imbecillos animos facile capere possit.  
Duobus enim fulcris Religionis & providentiae divinæ sublatis uni-  
versum cultum divinum evertit. Tollit libertatem agendi, inducta  
Mathematica quadam necessitate, qvâ positâ, omnia mutuâ causalitate  
à se invicem dependente agunt. Tollit præterea causam finalem, qvâ  
sublata, nihil amplius sperandum metuendum ve est.

§. 9. Nimis prolixum auspicaremur opus, si accuratum  
catalogum componere vellemus, in qvo omnes Spinozæ errores  
recensentur. Ne verò plane taceamus, unum vel alterum velut  
in scenam producamus, refutationem venerando Theologorum or-  
dini relinquentes. Sive enim Theologia ejus, sive Philosophia  
æqvo ponderetur animo, incredibilis ex utraqve parte errorum co-  
pia largissimo flumine promanabit. Nec persuaderi possum ullum  
magis absurdum Theologiæ Systema enasci posse, qvā si ejus

Articulos fidei diligenter contempleris, & in compendio uno intuitu proponas.

§. 10. Nam *in loco de Scriptura Sacra* arbitratur, revelationes Prophetarum nihil aliud fuisse, quam imaginationes Melancholicorum, eos non perfecta mente praeditos, sed potentia imaginandi instructos fuisse. (Tract. Theol. Polit. cap. XI. pag. 139.) Tam modi loquendi quam differendi Apostolorum in epistolis clarissime indicant, eosdem non ex revelatione & divino mandato, sed ex naturali iudicio scripsisse. In cap. XII. p. 144, seqq. statuit nos habere scripturam mendosam, truncatam, adulteratam, sibiique non constantem: Scripturam nullam DEI definitionem tradere, fidem non requirere tam vera quam pia doginata. In Libro de Philosophia Interpretate Scripturæ S. docet, infallibilem scripturas interpretandi normam esse Philosophiam. Imo miracula omnia explodit.

§. 11. *In Loco de DEO* mundum Dei essentiam exprimere putat, conf. P. II. def. I. P. II. prop. XI. Coroll. *In Loco de peccato* asserit, non potuisse Adamum recta ratione uti, sed necessitate quādam coactum à recto vivendi tramite deflexisse. Si ejus locum de Christo contempleris, invenies, quod resurrectionem Christi allegoricè explicet, quoniam Christus non Pilato & Phariseis, sed Apostolis tantum apparuit, vid. Epist. XXIII. & XXIV. ad Oldenburgium. *In Loco de Prædestinatione* affirmat in rerum natura nullum dari contingens, sed omnia necessario determinari. vid. P. III. Eth. prop. II. P. II. prop. 48. P. I. prop. 29. *In Loco de Justificatione* credit omnes, qui Deo recta ratione obediunt, salvos esse. Tract. Theol. Polit. cap. IV. Art. VI. *In loco de pœnitentia* persuasit sibi: Sic animum induxi meum, nullum Numen nec aliis nisi invidus mea impotentia & incommodo delectatur, nec nobis lacrymas, singultum, metum aliaque impotentiae signa virtuti ducit, sed contra, quo majori lætitia afficimur, eo ad majorem perfectionem transimus P. IV. prop. 45 schol. Tandem *in Loco de morte & vita eterna* non veretur propugnare hominem liberum, & ex dictamine rectæ rationis viventem de nulla re minus quam de morte cogitare debere, usi patet ex P. IV. Eth. prop. 67.

§. 12.



§. 12. Sicuti verò *Theologia* ejus turpissimis erroribus repletur, ita non minus *Philosophia* in infinitos errorum laqueos incautos abducere potest. In illa enim libertate philosophandi abuti temere conatur, & intelligendo facit, ut nihil intelligat. Rectè huc applicare potes illud Ciceronis Lib. II. de Divinat. nihil tam absurde dici posse, qvod non dicatur ab aliquo Philosophorum.

§. 13. Quid enim aliud tibi ab ejus *Pneumatica* promittis, qvam Deum extendi & Diabolos non esse metuendos? Quid ejus *Politica* continet, nisi farraginem absurdarum opinionum, in qua probare audet, eam demum veram felicitatem esse, si in Republica vivamus, ubi unicuique permittitur, Deum ex suo ingenio colere & qvicqvid velit, sentire, ( vid. ultimum caput Tract. Theol. Polit. ) Peccatum describit per actum inobedientiæ erga Magistratum. Novam præterea *Metaphysicam* excogitavit, in qua docet, non dari causam finalem. Vid. append. P. I. p. 34. seqq. Imò ipsam reformare *Logicam* aggressus est, & unicam tantum in mundo substantiam concessit, de qvibus erroribus Tractatus de emanatione intellectus & Ethica P. I. prop. I. & 14. 15. evolvi possunt. Alia novæ hujus Philosophiæ mysteria silentio merito prætermittimus, ne multitudine rerum lectori tedium creemus, & cumulo opinionum molestiam qvandam afferamus.

§. 14. In primis *Ethica* ejus tanta arte coaluit ac combinata fuit, ut si unicum qvandoque axioma, minus attentè legens admittas, totum Systema admitti debet, qvod si autem unicum vicesim destruas, ( e.g. unam tantum dari substantiam ) tota moles superstructa protinus collabascit. Interim negari non potest qvod magnis qvandoque obscuritatum tenebris ejus Demonstrationes involvantur, qvia haud raro terminos in nova plane significacione adhibet, & allegat ubique priores theses, nervumqve probandi in alium locum rejicit.

§. 15. In Parte I. agit de fundamento Ethices nempe de Deo, Parte 2. de Subjecto Ethicæ sive de mente humana, Parte 3. de Affectibus & Virtutibus præcepta moralia proponit. Parte 4. de Impedimentis in Ethica verba sive de servitute affectuum, & tan-

& tandem in parte 5. de fructu Ethices sive de Libertate sentiendi & beatitudine in intellectu differit. In I. parte præcipuum venenum continetur, q[uod] anquam alii libri non debeant excludi.

§. 16. Non tam obtusa & stupida indole Spinoza utebatur, q[uod] se humanæ societatis compagem laxare, ac fundamenta religiōnum conqvassare nesciret, q[uod] in potius omnem navabat operam, ut hanc suspicionem ex animis hominum evelleret, ne altas radices agat, & impositam à Magistratu pœnam luere teneatur. Atq[ue] hæc subest gravissima causa, q[uod] eum impulit, ut omnis ejus cura in Politica & Ethica elaboranda versaretur, ne turbare Rempublicam ac virtutes è medio tollere, sed stabilire potius videatur, imò hanc ob rationem sæpiissimè nomen Dei callidè usurpavit, & mundo temere tribuit, ne Athei turpissimum nomen jure sortiantur. Quid? Hanc ob rationem ab una parte Atheismum indiretur, & ex altera ab ordinario de Deo loquendi modo non recedit.

§. 17. Qvod si autem ejus sententiam æquo libremus animo, patebit, ipsum mundo nomen Dei imponere, & homines partes Dei appellasse. Nam in Part. II. Prop. XI. Corollario legimus: mens humana pars est infiniti intellectus Dei & Deus humanæ mentis essentiam constituit. Part. V. Prop. XL. Scholio dicit, q[uod] omnes mentes nostræ simul infinitum & æternum Dei intellectum consti-  
tuant. In Prop. XXXVI. ejusdem partis arbitratur, q[uod] mentis nostræ amor intellectualis sit pars infiniti amoris, quo Deus se ipsum amat. Naturam vocat Deum pag. 169. Equidem parte I. Prop. 29. Scholio, naturam naturantem à naturata distingvit, sed nihilominus actu ipso confundit. Dicit enim P. IV. prop. 4. fieri non potest ut homo non sit naturæ pars, nam potentia, q[uod] homo se conservat, est ipsa Dei potentia sive essentia per prop. 7. P. III. Vide autem, Benevole Lector, q[uod] execranda sit hæc thesis, & absurdum. Qvod si enim mundus est Deus, sequitur q[uod] si quis terram calcaverit, partem Dei calcet, & in omni animante trucidando pars Dei trucidetur. Sic cum puer vapulat, pars Dei vapulat. Sic ipsi homini Dei corpus violare licet, quando ad eruendas opes interiora terræ yiscera effodit. Quid q[uod] ne arari quidem sine laceratione di-

vini



&  
e-  
ir,  
o-  
ut  
es  
ve  
u-  
u-  
ar,  
&  
ia-  
re-  
on  
no,  
Dei  
ns  
ef-  
nes  
ti-  
tis  
um  
29.  
ni-  
est  
at,  
m,  
od  
rit,  
ci-  
ini  
rræ  
di-  
ini

vini corporis poterit? Seqvuntur porro hæc absurdæ; Scribit enim Part. II. defin. I. Per corpus intelligo modum, qvi Dei es- sentiam, qvatenus ut res extensa consideratur, certo & deter- minato modo exprimit, Ergo Dei essentiam exprimit levissi- mum brutum! Nam & illud est corpus ac res extensa, cum tamen Deus sit ens perfectissimum.

§. 18. Qvæcum ita se habeant, non male collocarunt tempus, qvi adversus Spinosam arma sumpserunt, qvoniam nonnulli reperiuntur, qvi in ejus monumentis speciosa ac eru- dita argumenta contineri sibi persuadent, & sæpe fieri solet, qvod Ethica ejus cupiditatem curiosorum provocet, nec omni- um oculis exponatur.

§. 19. Sanè non satis ad hanc causam instructi accedunt, qvi loco fundamenti utuntur locis Scripturæ, & his telis hy- dram illam pestiferam interficere volunt, illud ipsum enim est, qvod Spinoſa in controversiam vocat. Meliorem ingrediun- tur viam, qvi ex ratione argumenta sua proferunt, & ex ipsa Phi- losophia illius  $\pi\varphi\omega\tau\sigma\psi\tilde{\nu}\delta\Theta$  labefactare student.

§. 20. Clarissimus Poirer in cogitationibus suis ratio- nalibus passim ejus dogmata retundit, & in fine operis aliquot definitiones & Propositiones Ethices examinat. Qvi poste- rior liber ideo eruditis non displicet, qvod eadem methodo Ma- thematica, qvam Spinoſa in Atheismo adstruendo jaſtat, Atheiſmum deſtruit, & definitiones definitionibus, propositiones propositionibus opponit.

§. 21. Lambertus à Velthysen argutam adversus Ethicam Spinoſæ Dissertationem scripsit. Inter alios Tract. Theol. Po- liticum aggressus est Franciscus Cuperus, in Libro, Arcana Atheiſmi revelata Roterdami 1647. 4to. Verum ille Author non usque adeo sincerus etiam mihi visus est, promittit se multa ar- cana propositurum, qvibus Athei uti soleant, & qvæ ipſe ex eo- rum conuersatione didicerit, nec video plura ab ipſo prolata esse, qvam ab aliis neqvitiz Antesignanis. Si qvædam loca re- te aspiciantur, & æqvo librentur animo, leviter tractare non nunquam rem videtur, & causæ bonitatem prodere, unde Hen-

ricus Morus in Epist. II. ad Vir. Clar. pag. 596. ipsum Cupè-  
rum Atheismi accusat, cuius argumenta dicto loco legi pos-  
sunt.

§. 22. Idem *Henricus Morus*, in eadem Epist. Tracta-  
tum Theol. Polit. impugnavit, & in novo Tract. fol. 605. seqq.  
duas Spinoziani Atheismi columnas subvertit: Ad substantiæ  
naturam pertinet a se existere, & unam tantum in mundo esse  
substantiam. *Petr. Dan. Huëtius* Informator olim Delphini in  
Demonstratione Evangelica Tract. Theol. Polit. subinde velli-  
cat, nam post huma Spinozæ opera nondum à discipulis ejus  
erant edita, cum ille librum prima vice publicaret.

§. 23. *Elias du Pun* in Dissertatione Præliminari de Au-  
toribus librorum Scripturæ, qvam præfixit Bibliothecæ novæ  
Autorum Ecclesiasticorum tam Spinozam qvam Richardum  
Simonem carpit, qvi Mosen conscripsisse Pentateuchum infi-  
cientur. Idem facit *Gurtlerus*, Theologus Hanoviensis, in In-  
stitutionibus Theologicis Amstelodami hoc anno editis à f. 565.  
ad 715. *Kortholdus* de tribus impostoribus sive de Herberto,  
Hobbesio & Spinoza elegantem libellum exaravit. Nec minus  
acutissimus *Musæus* libertatem ejus philosophandi solidissimè  
ad veritatis lancem expendit. Extant contra Spinozam Disser-  
tationes *Henrici Horchii*, Profess. Herbornensis. *Wittichii*-Li-  
ber posthumus, *Ante Spinoza*, sua laude non est privandus,  
nam in priori parte contra Spinozæ errores de Deo non male  
disputat, in posteriore verum de Deo sensum docet.

§. 24. Partem doctrinæ ejus refutarunt Mastrich in gan-  
græna p. 105. seqq. Leydeckerus in face veritatis p. 105. seqq.  
& Limborch in Theol. Christ. p. 48.

§. 25. Plura essent, qvæ de Spinoza in medium affer-  
ri possent, sed angustia chartæ non permittit, ut prolixiores  
sumus, qvare pergimus ad alterum Caput.

CAP.



pe  
os  
m  
sta  
eqq.  
ntia  
esse  
ii in  
elli-  
ejus  
cyp  
Au-  
ovæ  
dum  
infi-  
n In-  
565.  
erto,  
inus  
sime  
isser-  
Li-  
ndus,  
malè  
gan-  
seqq.  
affe-  
xiores  
CAP.

## CAP. II. DE BALTHASARE BEKKERO.

§. I.

**S**pinosa & Bekkerus à se invicem insigni discrimine separantur, qvòd ille universam religionem evertere, hic partem destruere conetur, qvòd alter existentiam dæmonum neget, alter affirmet; uterque tandem in Belgio operationes diaboli in hoc mundo impugnavit. Nam qvando Spinosa legit, Christum docuisse, si Satanas Satanam ejicit, qvomodo regnum ejus potest consistere, arbitratur, qvod minime existentiam angelorum docuerit, nendum operationes, sed tantum pharisæis se accommodaverit. Vid. Tractat. Theol. Pol. c. 2. In ep. 55. p. 564. & in ep. 58. p. 569. omnia spectra somniis adnumerat, & insipientibus vetulis adscribit.

§. 2. Multi præterierunt anni, qvod Bekkerus novitate opinionum famam sibi conciliare studuit. Cum enim Franeqveræ Ecclesiastæ munus obiret, catechismum edidit, qvì synodi jussu improbatus fuit, qvoniam fiduci reformatæ repugnabat, qva de causa aliud munus ambivit, & tandem amicorum opera ministerio Amstelodamensi admotus fuit. Edidit Commentarium in Danielem (*Vitlegginge van den Propheet Daniel*) & disquisitionem de Cometis (*Onderzoek van de beteekening der Kometen by Gelegenheid van de gene, die in de jaren 1680. 1682. geschenen hebben, gedaan door B. Bekker 1692. Amst. Prodiit jam abhinc octo annis hæc dissertatio à Kœlmanno refutata & excerpta in Boeckzaal van Europe. ann. 1692. p. 34. sqq.*)

§. 3. Mundus Bekkeri fascinatus adeo omnium Belgarum oculos in se convertit, ut duorum mensium spatio aliquot millia exemplarium venderentur, & passim in Gallicam, Italicam, Germanicam ac Hispanicam lingvam verteretur. Simulac in lucem prodiit, statim aliquid monstri alere videbatur,

B 2

qvam

quamobrem mandavit senatus Ecclesiasticus Amstelodamensis, ut tres sacerdotes D. Fischerus, D. Schaakius & Westerhofius nec non duo seniores D. Krieckius & Hornius argumentum libri recenserent. Et ne Bekkerus conqueratur illos dubia fidei libri summam retulisse, ipse accepit mandatum, ut synopsin quendam elaboraret. Qvod cum peractum esset, synedrium ecclesiasticum librum condemnavit, ac ægerrime tulit, qvòd sine censura librum hunc emisisset. Bekkerus contra ad synodum Edammensem, qvæ brevi imminebat, & ad privilegia Doctoratus sui provocabat, qvibns concessum erat, ut libri ejus nullius censuræ subjicerentur, qvoniam examen ante censuram superatum abunde demonstrasset, qvod non minus sit doctus quam orthodoxus. Diu cum Bekkerus synodus Amstelodamensis colloquium protractum, sed infectis rebus discedens rem omnem majori senatui Ecclesiastico sive Classi commisit, in qua benignos judices invenit. Conf. הנְּגָבָר Philalethes in epistolis Belgicis de Bekkerus, & celeberrimus Tenzelius in Colloquiis menstruis ann. 1692. p. 109. sqq., qui ex iis optima excerpit.

§. 4. Anno 1691. Synodus Edammensem celebrabatur in Hollandia Boreali, ad quam Classis Edammensem, Alcmariensis, Harlemensis, Amstelodamensis, Hornensis & Enghensis convocata fuit. Septimo Augusti die nuncius Amstelodamum mittitur, qui Bekkerum & quosdam e senatu Eccles. Amstelod. invitaret. Præsidis dignitatem administrabat D. Heinricus van Olphen, Ecclesiastes Alcmariensis. Assessores erant Jacobus Triglandius Professor, D. Petrus Jacobi, sacerdos Enghusanus, D. Joh. Clapmuth, Ecclesiastes Edammensem, D. Hero Sibersma, Ecclesiast. Amstelod. D. Joh. Rulicius Ecclesiastes Harlemensis, Consul Braschius, Commissarius quidam de Halevin, & Joh. Husinga Scriba.

§. 5. Postquam synodus aulpicium ceperat, Jac. Triglandius Bekkerum fractæ fidei accusavit, qvod Articulum XII. Syn. Dordracenæ violasset, in quem juraverat. Ibi enim dicitur, Diabolos operari mala in hoc mundo, omnibus viribus ecclesiæ struere insidias, & imposturis suis omnia perdere. Mirab-

rabatur idem Triglandius, quod versionem Bibliorum Belgicam erroris arguat Synodi decreto confirmatam, item quod Christo tribuat malas cogitationes in tentatione. Ast Bekkerus frigidè respondit, se minimè sacramento teneri ad omnia verba confessionis & versionis cœco impetu amplectenda, sed potiora approbasse, qvare Synodus impressionem librorum ipsi interdixit, & hactenus editos tractatus ad fiscum publicum pertinere judicavit.

§. 6. Primo Octobris die ejusdem anni Classis Amstelodamensis congregata fuit, quæ jussit, ut Joh. Fischerus, Peter Schaake, Conrad-Schonhoven & Joh. Leideckerus errores Bekkeri scripto consignarent, quod sequenti die fecerunt. Quidam vero pertinax Bekkeri animus expugnari non poterat, senatus decretit, ut vel elapo mensē revocaret, vel se abdicaret, officio.

§. 7. Postquam Mensis præterfluxerat & novus erat renatus, classis Amstel. rediit & Gvilielmum Anfeloarum, Joh. Schmidtum, Joh. Schonhofen & Joh. Brandulfum sibi adjunxit. Eo tempore Bekkerus à Synodo petiit, ut singulare patientiæ specimen exhiberet, & ejus theses ingenti animo toleraret. Verum turpissimam hanc patientiam fore synodus existimavit, nec prius acqvievit, donec palinodiam caneret. Tandem cum errores suos denuo propugnasset, suspensionis ab officio pœnam subire cogebatur.

§. 8. Nil magis miratur Theologus Utraj. Etimus S. de Uries Libro *de Satan in siin Weesen &c.* quam quod Bekkerus dixerit, in d' *Aenbiedingh aan de Kerckenraed van Amsterdam*, se omne i lnd pro non scripto habiturum, quod corpori confessionum & fidei reformatæ adversaretur. Ostendit verò laudatus Theologus in *Voor-Gespreck aan de leesers*, quod non modo à duodecimo, & decimo quarto Articulo Dordraceno, verum etiam à Catechismo reformatorum abiret, qua de causa dixisse refert virum doctum, qui alias à partibus Bekkeri stetit; *Dit boek sal in een paer Maenden meer quaeds gedaen hebben, als al de Predikanten in twintigh Iaren met al haer prediken sullen*

Kennen verbeeteren. Liber hic intra duorum mensium spatium plus malorum excitabit, quam in viginti annis omnes sacerdotes prohibere possunt.

§. 9. Praeivit pridem Bekkerio Hobbesius, qui in Leviathane suo c. 45. p. 307. intelligit per obfessos varia morborum genera & putat, quod impropriè Christus morbos aliquatur, sicuti cum mare & ventum increpat, vel quando jubet fieri solem, audire enim, antequam esset, non potuit. Praeivit porro *Orchardus*, Concionator Reformatus in nova Anglia, qui Tractatum Anglicum scripsit, cui titulus: *Doctrina Diabolorum*, Anno 1676. Præter hunc placuit ei *Daillonius Ecclesiæ reformatæ olim in Gallia minister, nunc verò Londini exul*, qui eadem oberrat chordâ, & passim citatur à Bekkerio, ut p. 52. alibiique. Eandem doctrinam superiori seculo fovit *David Georgius*, qui postquam vitris pingendis aliquandiu operam dederat, si verum Messiam esse asseruit, & nomen Johannis à Brück ascens, Basileæ in numerum civium se adscribi voluit. Quam fraudem cum Senatus mortuo Davide intellexisset, corpus ejus per carnificeem è sepulchro tolli & comburi jussit. Hic Georgius in suo Libro, qui vocatur: *Wunder-Buch*. P. II. c. 30. probare audet, nullum dari dæmonem nisi peccatum, nec ullas operaciones diabolorum.

§. 10. Varia prodierunt in causa Bekkeri scripta, *Historica & polemica*, quorum quædam leguntur in *BoekZaal van Europe*, edit. Rotterdam Annis 1691. p. 34. 52. 113. 123. 131. 564. &c. Annis 1693. p. 504. 512. Nos quædam referemus, quia ad scopum nostrum spectare videntur.

§. II. Polemici tractatus sunt sequentes:

1. Melchioris Leydekkeri *Dissertatio historico-Theologica de vulgato super Clar. Bekkeri volumine, 8vo, 35 plаг. de qua conf. celeberrimos Actorum Eruditorum Collectores anno 1692.*

2. *De gebannen Duyvel weder ingeroepen.*

3. *De betoverde Bekker, cum præfatione typographi Leo-wardi-*

wardiensis, qvi defendit se contra Bekkerum, quod librum Bekkeri ipso invito non typis impresserit.

4. De betoverde Weereld ondersocht en weederlegt door Jo. van der Wayen. Franeqv. 4to. plag. 82. vid. Acta Erud. ann. 1694. p. 254.

5. Pneumatica ofte Leere van den Geesten Zynde denkende Wesen door Heinricus Groenewegen, Enghysen. 1692. 4. 2. Alph.

6. Aanmerkingen op de Betooverde Wereld, van D. Bekker, nopens de geesten en hyn vermogen en byzonderlyk den staat en magt des duivels dor J. Verryn. Amst. 1692. 4to. 18. plag.

7. Volstrekte Wederlegginge van de Heeren Orchard, de Daillon en Bekker over de Werkinge der Geesten, by occasie en tegen Bekkers betooverde Wereld, en kort bericht tot vertoog dat de Heeren Voetius, Scot van Dale, door hem vergeefs worden agetrokken, door Petrus Hamer. D. Jur. Can. Dordrechti 1693. 4to. constat 80. plag. In præfatione hujus operis notas affert in duas epistolas Erici Walteni, qvarum prima ad aliquem è proceribus Amstelodamensibus, altera ad Comitem Portlandiæ dirigebatur, utraqve autem Bekkeri res gestas complectebatur 1693. 4to.

8. Aanmerkingen, wairin de gronden van den wytberoemden Heer D. Balth. Bekker, nopens de aard en wirkungen der Geesten, ondersocht worden door Johannes Ailstius en Paulus Steenwinkel, Dienairen des Evangeliums tot Hoornar. Dordrecht. 1693.

9. De Satan in syn weesen, aert, bedryf en guychelspel vertoond in een Historische verhandelingh van Duyveln, Gesichten, Spooken, Voorseggingen, vooriecken, Droomen, toveryen, Betoveringen, Besetenheyd, en wat noch voorts deese Stof aenhangigh is door S. de Vries. Utrecht 1692. 8vo.

10. Werksaems duypelen in de Weereld of verfolg van de Satan in syn weesen, aert en Guychelspel, door S. de Vries. 1692.

11.12. Petri Schaakii conciones, & supra adductus Haggéber.

13. Viervoudige Beantwordinge van bezwaernissen vorgesteld aan Bekker over syn Boek genaant de Bedooverde Weereld. In hoc libro

libro reperiuntur 1. Extracten door gecommitteerden des Kerkenrads met de Korte aantekeningen van den Autheur. 2. de 13. Artyklen, hem eerst van den Kerkenrad en van den Classen voorgestelt met Zyn Antwoord op de Zelve, 3. de VI. Onderhandelingen der gecommitteerden van de Classen, met den Autheur gehouden, tegen de voornamste bezwarnisen en syne Antwoorden. 4. d' Artycklen van satisfacie hem van de synodus tot Alkmar voorgehouden met syn Antwoord. Amsterd. 1692. 4. 27. plag.

14. Missus mihi est qvoq; libellus d' onttoerde Werelt, sive mundus non fascinatus, handelende van de Duyvelen en Tovenaers, haer magt en onmacht, regens die gene die niet geloven datter Duyvelen of quade Geesten zyn, uyt de H. Schriften met verscheyde historien bevestigt. Amsterdam 1691. 8vo. 9. plag.

15. Ipse Bekkerus scripsit noodige bedenkingen op de nieuwe bewegingen verwekt door den circulairen brief. 1692. 4. 4. plag. nec non Anbiedung aen de Kerkenraed van Amsterdam.

§. 12. Aggressus est etiam Bekkerum Theologus Hamburgensis celeberrimus Dn. Wincklerus in concione de Tentatione Christi. Huic accedit Theologus Lugduno Batavus Johannes à Marck, in 8. Dispp. de dæmoniacis ad Matth. 4. v. 24. & in exercitationibus textualibus, exercitat: 29. ad Marc. I. v. 32. Extat porro B. Falckii Pastoris Stetinensis dæmonologia recentiorum autorum. Agmen claudit Petrus Poiret in libro de eruditione solida, superficiaria & falsa, edito Amstelod. 1691. Præmittit autem tractatum de vera methodo inveniendi verum, & in fine fundamenta mundi fascinati refutat, qvia in eo genuina veritatis methodus negligitur, & nulla solida eruditio appetit. Intelligit autem per solidam eruditionem pietatem.

§. 13. Vidimus scripta polemica in causa Bekkeri, qvanta librorum messis efflorescet, si eodem modo scripta historicæ enumerare vellemus? Proferemus pauca &

1. qvidem, Twee Brieven van Baltb. Bekker Predikant tot Amsterdam aen Everhardus van der Hooght, Predikant tot Niewendam, d' er eerste van 25. Sept. 1691. uit. Amsterd. d' andere 13. Jun. 1692. Franck. 1692. 4. 4. plag.

2. Brier

2. Brieu an Zyn Excellentie de Heer Graf van Portland ra-kende de persoon van Dr. Bekker, Door Ericus Walten. 1692. 4.  
Jun. 1692. Franck. 1692. 4. 4. plag.

3. Kort berigt van B. Bekker aangande alle de schriften, wel-ke over syn bœk eenen tyd lang heen en weder verwisseld zyn.  
Franck. 1692. 4. 9. plag.

4. De friesche Godgelehrheid van B. Bekker. Amsterd.  
1693. 4.

5. Naakt verhalt als mede in den synoden van Nordholland den 31. Maj. 1691. 21. Aug. 1692. Sive Acta tam post synodos, qvam in synodis. 4to. 27. plag.

6. Acten ofte Handelingen van de Noordhollandische syno-dus, gehouden binnen Edam en Alckmar 1691. en 1692. rakende Bekkers betooverde Weereld, met alle de Documenten dartoë behorende, waaronder ook eenige die in Synodale Actenboek niet gedrukt: Enkhuizen. 1692. 4. 20. plagul.

§. 14. Non opus est ut divisionem ac argumentum mun-di fascinati referamus, qvia Eruditissimi Collectores Lipsienses Anno 1692. in Januario & anno 1694. in Julio fidelissime hoc peregerunt. Notamus saltem ejus πρῶτον Θεῦδος. Statuit qvippe Diabolas non operari in hoc mundo. Præcipuum funda-mentum, cui innititur Pneumatica Bekkeri, est præconcepta opinio, qvod Spiritus non possit agere in corpus. Et mirandum profecto Virum hoc de angelis tam audacter determinare ac si omne qvod inesset ac deesset iis intimè perspectum haberet, cum tamen neget eorum existentiam ex natura solide probari posse nec de natura eorum & operationibus nos multum in sacrâ erudiri velit. Satis multa de iis divinus codex profert, nisi innumerâs phrases in perversum traxisset sensum.

§. 15. Nam Dæmoniacos non verè à Diabolo sed à morbo obsecros arbitratur, conf. c. 27. seqq. L. I. Probat hunc signi-ficatum vocis Dæmoniaci exinde, qvia Hippocrates & Galenus apoplexiā Dæmonium appellarunt, & qvia in notis libri Gittyn nec non in Maymonidis Geruschin legitur, qvod mor-bus qvidam קורדייקוס appelletur dæmon, qvi dominatur in nimium yni novi bibeptibus, Vid. Ligftooti T. II, Opp. p.

342. in c. 17. Matth. v. 15. Verum non sequitur, Galenus & Hippocrates per dæmones intelligunt morbos, Ergo populus judaicus tunc etiam intellexit. Nunquam probari potest Galeni dialectum Christum voluisse imitari. Quidam vero auctoritas græcorum tanti æstimatur à Bekkero, consideret quæso, multo plures esse Philosophos, qui per dæmones non morbos sed spiritus intellexerunt, e. g. Thaletem, Pythagoram, Platonem, Plutarchum aliosque, de quibus ipse Bekkerus dicit, quod ita vocem Dæmonis accipiant L. I. c. 2. §. 9. 10. 12. Cur igitur magis populus Judaicus se accommodasset Galeno quam Platoni? Cur unum & duos mallet seqvi, quam multos, qui ante & post Christum dæmones esse malos angelos existimarunt? Josephus qui illo tempore vixit, eodem modo dæmones capit, quod Bekkerus p. 185, fatetur. Conf. Josephi Antiquitates Jud. L. VIII, c. 2. Non enim sequitur, ventos alloquitur Salvator imprie, Ergo & obsessos. Nec valet consequentia: In Talmude quandoque vox dæmonis pro morbo usitata fuit, Ergo Christi tempore eodem modo ubique usurpata fuit. Præterea usurpat vox dæmon pro morbo non in Mischna sed in Gemara. Gemara autem continet Disput. in Mischnam diu post Christum habitas. Adducta à Bekkero verba Maimonidis nil probant, quia Maimonides multis post Christum seculis vixit.

§. 16. Abutitur porro voce *Diabolus* Lib. II. c. 17. §. 4., quando de *Nerone* explicat quod ut Leo circumvagetur. i. Petr. 5. 8. collato 2. Tim. 4. 17., posito enim in allegato loco epistolæ ad Timotheum Neronis mentionem fieri, inde ex hoc loco ad reliqua loca solidè concludi nequit. Præterea vocem Diaboli Matth. 13. 30. de *Elyma & Simone Mago* interpretatur, quia vox Diaboli seu calumniatoris eis convenit, verum non tam etymologia quam usus vocis Diaboli respiciendus. Eadem audacia per Diabolum Matth. 4. timorem Christi ob imminentem passionem & per Satanam qui incitavit Davidem ut populum numeraret i. Chron. 22. i. ministrum aulicum indigitari credit. Nos concedimus vocem Satan quandoque hominibus tribui, ut Matth. 16. 23. i. Sam. 29. 4, stricte tamen notat Diabolum.

§. 17. Ec-

§. 17. Ecce quomodo perro torquet phrasin Princeps in  
aëre Eph. II., quam de carne in suo impetu capit. Jam quomo-  
do convenit carni regnare in aëre? Unicus locus isque obscurus  
in scholiis Sophoclis non est norma Scripturæ interpretandæ.  
Quis ferre potest principem mundi Joh. 16. 11. notare Herodem  
& Pontium Pilatum, & Deum hujus mundi 2. Cor. 4. v. 14. si-  
gnificare ventrem. Etsi enim Phil. 3. v. 19. venter vocetur Deus,  
inde non debet diabolus excludi.

§. 18. Nil magis absonum & coactum videtur, quam  
abusus vocis angelorum, in Lib. II. c. 2. §. 6., ibi per an-  
gelos, quos Judas dicit non conservasse domicilium suum  
Jud. v. 6. & per angelos quibus Deum non percipie af-  
firmat Petrus 2. Ep. 2. 4. intelligit exploratores terræ Canaan,  
qui malo nuntio populum terrentes condemnati sunt nec vide-  
runt terram promissionis. Sic per corpus Mosis v. 9. epistolæ  
Iude, probabilissimè significari ait populum Hierosolymitanum,  
per Michaelem defensorem gentis Judaicæ ut Josuam & Zeroba-  
belem, qui objurgavit Diabolum, hoc est Titnai & Starbosnai.  
Esr. V. 2. 3. impedientes ædificationem novi templi. Sed qui-  
vis deprehendit quam haec longe petita sint.

§. 19. Tanta audacia pervertit phrases Scripturæ! Quo  
referas verba Jacobi II. 12. Dæmonia etiam credunt, quod uni-  
cus sit Deus. Hic putat per dæmonia innui sacerdotes genti-  
lium, qui tamen non unicum Deum, sed plures crediderunt.  
Sed relinquit aliis, qui majore judicii acie pollut, ut ejus  
abusus vocum perpendant. Placuit Clarissimo Bekkerø  
P. IV. spectri in domo matris meæ meminisse, sed quoniam  
eo tempore in ea non habitavi, judicium meum suspendo.

Qui meliora de Bekkerø desiderat is expectet, donec fu-  
turis nundinis Amstelodamenses Bibliopolæ  
meliora apportent.

SOLI DEO GLORIA!

CO-



# COROLLARIA.

1. Falsa est prop. 48. in P. II. Ethicæ Spinoſæ: In mente nulla est libera voluntas, sed mens ad hoc vel illud volendum determinatur à causa, quæ etiam ab alia determinata est, & hæc item ab alia sicut in infinitum.

2. Falsa est thesis Spinoſæ in tractatu Theolog. Pol. c. II. §. 4. & c. 16. sub init. Cujusque individui jus naturale eo usque se extendit, quò ejus potentia.

3. Absurda est prop. 14. P. I. Præter Deum nulla dari nec concipi potest substantia.

4. Dicere quòd spiritus sit substantia immaterialis est dicere quid non sit.

5. Ex natura solidè demonstrari potest quod sit Deus.

6. Mores sequuntur temperamentum.

7. Terra Utz fuit in Arabia.



ULB Halle  
002 182 076




3



**Farbkarte #13**

B.I.G.



QK. 526  
QK. 527, 10. B. n. II f  
DE  
Duobus Impostoribus,  
**BENEDICTO**  
**SPINOSA**  
ET  
**BALTHASARE**  
**BEKKERO,**  
DISSERTATIO HISTORICA;  
Qvam indulgente  
Amplissima FACULTATE PHILOSOPHICA  
In.  
ACADEMIA LIPSIENSIS,  
Primavice  
**PRO LOCO**  
in eadem obtinendo  
M D C X C I V. 8. Sept.  
publicè proponit  
**M. FR. ERN. KETTNERUS.**  
—  
*LIPSIAE,*  
Stannô IMMANUELIS TITII.

